

D. T. O. M. A.

DISQUISITIO PRIMA.

De

DIVINA PECCATORUM
NOSTRORUM REMISSIONE,

P R A E S I D E

JUSTO FEWRBORNIO,

SS. THEOLOGIAE DOCTORE,

EJUSDEMQUE IN ACADEMIA MAR-
genſi, Professore & Eccleſiaſte,

Publicè respondente

HENRICO GERKENIO,

OLDENBURGENSI,

Ad piè ventilandum proposita,

In Auditorio Theologico,

Die XIX. Februarii Horis conſuetis.



Marpurgi Cattorum,

Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII,

Academ. Typographi.

M DC XLV.

~~Handwritten scribbles~~

Coll. diss. A
167, 20

879. A. 167 (20)



*ILLUSTRISSIMO AC GENE-
rosissimo Comiti ac Domino,*

DN. ANTHON-GUNTHERO,
Comiti in Oldenburg & Delmenhorst,
Dynastæ in Jever & Kniep-
hausen, &c.

Patriæ Parenti inclytissimo,

Domino suo clementissimo,

Theologicum hoc Exeritium,

*In humillimi ac subiectissimi animi
symbolum,*



*Consecrat, dedicat &
offert*

Respondens.





THE S I S P R I M A.



Uilielmus Perkinſius, Theologus Anglus, in Ca-
techeli, p. 541. 542. inquit: *Eſt admirabilis benedi-
ctio Dei, remiſſio peccatorum, adeò ut abſq; eà miſe-
rior & calamitoſior ſit unusquilibet homo, etiam
vaniffimà quâque creaturâ. Serpentem ſanè abomi-
namur & bufonem; at niſi acquiſiverit homo per
mortem & paſſionem Chriſti remiſſionem peccato-
rum ſuorum, in infinitum deterior illis eſt. Morientibus enim ipſis com-
moritur etiam plaga & miſeria ipſorum: at moriente homine abſque iſto
beneficio, incipit tum demũ ipſius calamitas & afflictio. Quantum enim
ad animum attinet, tum ad diem uſq; iudicii pervenit, poſtea verò &
corpore & animo in infinitos cruciatus ac dolores inferni pervenit. Si
autem permanendum ſit ibi homini tot annorum millia, quot guttas con-
tinet mare, tum aliqua relicta ſpes eſſet. Verũ ſi tam diu ibi fuerint con-
verſati (quod ſanè tempus eſt immenſum & inenarrabile) duplo adhuc
diutius permanendum eſt ipſis illic, tum deinde verò eternũ ac indefi-
nenter. Quapropter omnium, quæ vel exhibitæ ſunt, vel exhiberi poſ-
ſunt, beneficiorum hoc & ſummum eſt & optimũ. Hæc Perkinſius.*

2. Qui miſeriam hominum plerorumq; æternam, adhuc mul-
tò graviorem introducit, quando docet, Deum pleriq; hominibus ex
abſoluto odio & decreto divino remiſſionem ſuorum peccatorũ non
velle elargiri, nempe omnibus hominibus, à Deo, etiam citra intui-
tum peccatorum ſuorum, æternũ reprobatis, ſeu in electione ad vi-
tam æternam præteritis. Sic enim Deus plerofq; homines ad damna-
tionem, & ad peccata patranda, ceu cauſas ejus, crearet, & inevi-
tabilem peccandi neceſſitatem, vi decreti ſui abſoluti, eis injeciſſet &
adhuc injiceret. Quæ aſſertio de æternâ plerorumq; hominum, ante
& citra ipſorum peccatorum intuitum, factâ reprobatione divinâ, tam
apertè literis ſacris adverſatur, ut vel ipſe Robertus Sarisburienſis
Episcopus in Exercitat. de gratiâ & perſeverantiâ ſanctorum, in Præ-
fat. ad Lectorem, lit. C. 2. eam rejecerit, inquiens: *Ad Auguſtini
verò electionem non eſt aſſerenda triſtis illa, & omni modo abhorrenda,*

nuper certè nata, sententia de absoluto decreto reprobationis, quæ ante ista tempora opinor, nunquã in Ecclesiã audita est, quã nos quidem aliquando excusare tentavimus, nunquã amplexi sumus, usu a. didicimus, quàm periculosa, quàm perniciosa, quàm à salutaris doctrinã aliena sit &c. Et deinde p. 83. 84. subnectit: Perkinsius, vir alioqui eruditus & pius, in descriptione divinæ prædestinationis, quã ille contra nostram, contra veteris Ecclesiæ fidem, citra lapsum Adami absolute decretã constituit, erravit errorẽ non levem, cuius à doctis quibusdam viris in ita jam dudum & suscepta defensione turbas Ecclesiis non necessaria dedit, quas etiamnum non sine scandalo & periculo herere, videmus, dum viam quisq; quam ingressus est, magis sibi arctè tenendam judicat, quàm ductam sacrarum scripturarum autoritate lineam veritatis, tanquam solum Ariadneum, sibi ducem faciat. Hucusq; & ille, quæ approbat etiam D. Ludovicus Crocius in Apologetico, pag. 102. & in Homine Calviniano &c, p. 66.

3. D. Lutherus Tom. 4. lat. Jenensi, in c. 1. ad Galat. pag. 10. B. scribit: facente articulo justificationis, jacent omnia. Itaq; summè necessarium est, ut eum perpetuò inculcemus & acuamus &c. Item: Gratia remittit peccatum, pax tranquillam reddit conscientiam: Duo Diaboli nostri, qui nos extrisciant, sunt peccatum & conscientia. Sed hæc duo monstra Christus vicit & conculcavit in hoc seculo & futuro. Hoc mundus ignorat, ideò nihil certi potest docere de vincendo peccato, conscientia & morte. Soli Christiani hoc doctrinæ genus habent, eoque exercentur & armantur ad victoriam contra peccatum, desperationem & mortem eternam. Estq; doctrinæ genus divinitus datum, nullo libero arbitrio, nullã humanã ratione aut sapientiã repertum &c.

4. Quæ cum ita sint, constitui, & in J. prævio S. Scripturæ lumine, aliquot disquisitiones de divinã peccatorum nostrorum remissione, edere, easq; pessimis & versutis Diaboli machinationibus, & noxiis hominum exorbitantium erroribus opponere, & contra, divinam veritatem asserere, diviniq; Nominis gloriam, & Ecclesiæ Christi salutem, Deo misericorditer benedicente, promovere, ac efficacis solatium, quod Spiritus S. in sacris literis hunc articulum describens, nobis porrigit, communire. Istud propositum prosperet alma Trias:

1. Qui Spi-

5. I. Quibus verbis Spiritus S. hunc articulum in codice Biblico descri-

describat? I. Negative, quando asserit, Deum nostrorum peccatorum non recordari, Psal. 25. v. 7. Jerem. 31. v. 34. Hebr. 8. v. 12. & 10. v. 17. articulum Ezech. 18. v. 22. & 33. v. 16. (Quando autem dicitur eorum recordatum, enunciet? ritus S. hūc enunciet?) atq; illa nobis non imputare, Psalm. 32. v. 2. Rom. 4. v. 8. & 2. Tim. 4. v. 16. II. Affirmative, quando tradit, se nostrorum peccatorum oblivisci, Amos 8. v. 7. se ea subigere, & in profundum maris abjicere, Mich. 7. v. 19. & post tergum suum projicere, Esa. 38. v. 17. ac dele- re, Esa. 43. v. 25. & 44. v. 22. & Acto. 3. v. 19. se debita nostra nobis re- mittere, Matth. 6. v. 12. & 18. v. 32. se peccata nostra facere à nobis trans- ire, seu à nobis transferre, 2. Sam. 12. vers. 13. se nos à peccatis absolvere, Matth. 18. v. 18. & mundare ac lavare, Ezech. 36. v. 25. Hebr. 9. v. 13. & 1. Johan. 1. v. 7. & Apocal. 1. v. 6. & (ne hīc copiosior sim) se nostras ini- quitates auferre & tegere, Exod. 34. v. 7. Psal. 32. v. 1. & 85. v. 3. (sicut illa non tegere, notat, ea imputare, Nehem. 4. v. 5.) Quia itaque Deus ho- minibus credentibus sua peccata remittit ea tegendo, proinde illa i- psis non dimittit, ita funditus ex naturā hominum ea extirpando & eradicando, ut nihil in eis residuum in hac vitā maneat, quod verè & propriè, secundum censuram divini verbi, peccatum sit & dicatur: quemadmodum id suo loco & tempore fusiùs ostendā & exponam.

6. Obiter hīc moneo: quòd Spiritus S. agens de condona- tione peccatorum nostrorum, passim etiā dicat, Deum nostris ini- quitatibus esse vel fore propitium. Vide vel Jer. 31. v. 34. & 33. v. 8. & 36. v. 3. & Hebr. 8. v. 12. At Deus ipsis peccatis non exhibet suam gratiam, nec ab ipsis peccatis auferit reatum mortis, sed ab ipsis hominibus cre- dentibus. Quod Spiritus S. satis sup̄erque passim testatur. Cur igitur ipse Spiritus S. ita loquitur? Flacius putat, quòd Spiritus S. in Codice Biblico, interdum predicata non attribuat suis subjectis, quibus compe- runt, sed ipsorum adjunctis. Sic Deus dicitur esse propitius peccatis, id est, hominibus peccatoribus pœnitentibus. Sic peccata dicuntur dealbari, Esa. 1. v. 18. id est, homines peccatores ad Deum conversi. Sic lepra dicitur mundata, Matth. 8. v. 3. id est, homo leprosus. Contrā, et- iam notandum est, quòd Spiritus S. in S. literis predicata, debita eis, que subjectis adjunguntur, ipsis tribuat subjectis. Sic Esa. 52. v. 7. dicun- tur speciosi pedes evangelizantium pacem. Et intelligitur ipsum pul- chrum & jucundū Evangelium divinum. Vide plura apud Flacium,

part. 2. Clavis scripturæ, p. 296. 320. 321. 350. &c. Ast hæc explicatio Flacii non exhaustire videtur profunditatem istarum Spiritus S. locutionum: quippe qui ideò sic emphaticè locutus est, non ut indicet, hominis lapsi substantiam esse ipsum peccatum; utpote quod ab illà realiter distinguitur, sed ut innuat perfectam peccatorum nostrorum per Christum factam, expiationem. plenamq; eorum remissionem. Hinc Christi sanguis dicitur nos purgare à peccatis, 1. Johan. 1. v. 7. 9. Et idem Christus asseritur purgationem nostrorum peccatorum fecisse per semetipsum, Hebr. 1. v. 1. Tantum de 1.

2. An solus Deus peccata remittat? 7. 11. An solus Deus, Pater, & Filius & Spiritus S. unus ille Jehova, nobis peccata nostra remittat? Resp. Imò, ipse unus & solus remittit nobis nostras iniquitates, Esa. 43. vers. 25. αὐτοκράτωρ κῶς remittit nobis nostras iniquitates, Esa. 43. vers. 25. Marci 2. v. 5. 7. Luc. 5. v. 20. 21. & Ephes. 4. v. 32. & Johan. 20. v. 22. 23. & 1. Corinth. c. 6. v. 11. Hoc itaq; argumentum est firmum: Nemo potest (αὐτοκράτωρ κῶς, seu ut summus Legislator & Dominus divinæ legis) peccata remittere, nisi verus Deus. At Christus sic potest remittere peccata, contestantibus id citatis dictis. E. Christus est verus Deus.

8. Eniedinus in Explicationibus Locorum V. & N. T. pag. 120. regerit, hanc Majorem (Nemo potest peccata remittere, nisi verus Deus) esse falsam: quia Christus asserat, Filium hominis habere potestatem remittendi peccata. At hæc Enjedini ratio falsitatem jam dictæ Majoris non ostendit. Quoniam Christus per Filium hominis hic seipsum intelligit: cui divina infinita virtus & αὐτεξουσία hominibus dimittendi peccata, non competeret, nisi verè esset θεὸς ὁμοῦ καὶ συν: quia Jehova suam gloriam alteri (extra divinam hypostasin, per sese subsistenti) non vult dare, Esa. 42 v. 8.

9. Nondum quiescit Eniedinus, sed pag. 121 replicat, alios etiam homines, & Apostolos posse remittere peccata, Matth. 6. v. 12. c. 18. v. 35. Johan. 20. v. 23. Matth. 18. v. 18. Id possunt quidem & debent etiam facere; ast non ut ipse Filius hominis, altissimus Nomen Jehovæ, & Dominus Decalogi, verum ut Ministri Dei publici, & ut Christiani, ad id, jussu Dei & Domini sui, obligati. At Christus est ipse Dominus etiam sabbati, Marci 2. vers. 28. ipse Dominus glorie, 1. Corinth. 2. vers. 8. & Dominus ex cælo, 1. Corinth. 15. vers. 47. à reliquis Dominis nuncupativis distinctus & exemptus, 1. Corinth. 8. vers. 5. 6. ipse Rex Regum & Dominus dominantium, sibi datam potestatem habens

7
hans in celo & in terra, Apocal. 17. v. 14. & Matth. 28. vers. 18. ipse Deus
verus, 1. Joh. 5. v. 20. ipse Deus magnus, Tit. 2. v. 13. ipse Deus benedi-
ctus super omnia in secula, Roman. 9. v. 5. Cui Domino & Deo soli
peccatur, Psalm. 51. v. 6.

10. Transit portò Eniedinus ad discussionem Minoris. Ad
quam pag. 121. 122. reponit, Christum ad scribas dixisse, se ex eo demon-
straturum habere Filium hominis potestatem remittendi peccata, quòd
gressu suo paralyticum sanare possit. Quòd ipsi Eniedino non videtur esse
congruum, neq; ad probandum sufficiens: quia peccatum sit morbus ani-
mi; Paralysis sit morbus corporis: proindeq; putat, non sequi: Christus po-
teat hominem à paralyti liberare. Ergò & à peccatis. Quoniam ex eo,
quòd minus est, non probetur id, quòd majus est.

11. Observe hic pius Lector, quàm perversè & hostiliter ipse
Satanas, per Eniedinum, Christum infestet, ipsiusq; argumentatio-
nem oppugnet. Cui spiritui maligno meritò est occurrendù. Resp.
ergò 1. Congruè & sufficienter Christus evicit, se habere potestatem
remittendi peccata; quia non tantùm suo divino spiritu, citra alterius
revelationem, intospexit corda scribarù, & arcanas eorum cogita-
ones infallibiliter vidit, easq; ut malas & iniquas, redarguit; Quòd
est opus unius & solius Jehovæ Altissimi, 1. Reg. 8. v. 39. & 2. Chro-
nic. 6. v. 30 Psalm. 7. v. 10. & 1. Cor. 2. vers. 11: verùm etiam virtute non
alienà, sed suà proprià, & suà etiam liberrimà & exortà, ac solo suo
verbo statim & repente morbum, cunctis viribus humanis incurabi-
lem, penitus profligavit. Quòd itidem est unius & solius Dei Altis-
mi proprium, Psalm. 72. v. 18. & 136. v. 4. Hoc ipsi Apostoli, miracula
facientes, humiliter agnoverunt, & falsi fuerunt, se non suà virtute,
sed in Christi nomine miracula patrassè, Actor. 3. v. 6. 12. 16. c. 9. v. 34. &
14. v. 3. & 16. v. 18. Cum ergò Christus non diversà & dispari, sed pari,
imò unà eadèmq; virtute & majestate suà divinà usurpatà, & peccata
Paralytico remiserit, & Paralytin etiam ab homine sic, ut dictum est,
abstulerit, hinc rectè & solidè etiam à divinà suà, paralytin ita statim,
pro libero suo nutu, profligandi, potestate, & à suà divinà, & quidem uno
vel verbo factà, ejusdem profligatiõne, probavit, sese esse etiam divinà,
peccata auferendi & remittendi, potestate instructum: proindeque
sine blasphemiam dixisse: Confide Fili, remissa sunt tibi peccata tua. 2.
Et si anima præcellat corpori, & proinde sanatio animæ per se majus
sic

fit opus, quàm sanatio corporis: quia tamen Christus non minori, sed prorsus pari, imò unâ eadêmque divinâ *δυναμει καὶ ἐξουσίᾳ* sic miraculose, prout dictum est, paralytin ab homine depulit, & localiter etiam absens, paralyticum pro suo nutu, & vel uno verbo suo curavit, Matt. 9. v. 7. & c. & tantas in super vires homini liberè & statim dedit, ut in conspectu omnium, è vestigio ad prolatum Christi verbum, è lecto surrexerit, lectumque sustulerit, & domum abierit (unde omnes sic stupor corripuit, ut apertè dixerint: *Nunquam sic vidimus. Hodie παρὰ δόξα vidimus*, Marci 2. v. 22. & Luc 5. v. 26.) propterea satis sufficienter hinc evicit, se habere divinam condonandi peccata potestatem, & absque blasphemiâ dixisse: *Remissa sunt tibi peccata tua. Ad-* do, quòd judicium Phariseorum, ad quod Christus simul respexit, hic concurrat, de quo Theophylactus super c. 9. Matthæi sic scribit: Vel ex hoc, quòd cogitationes rescivit, ostendit se Deum. Arguit igitur eos ferme sic dicens: Vos quidem putatis me blasphemum, eò quòd pollicear, me remittere peccata, id quòd magnum quidem est. Videtur autem vobis, quòd ego per hoc effugium queram, ut non reprehendar. Ego igitur & ex corporis curâ fidem vobis facio, quòd animas sanem. Per rem minorem quidem, sed quæ difficilior videatur, confirmans. Et peccatorum remissionem, quæ magna quidem est, sed faciliior vobis videtur, eò quòd minus appareat.

12. Eniedinus, sine ullâ justâ causâ imaginatus sibi difficultatem (quam jam explosimus, & contra probationis Christi sufficientiam & soliditatem ostendimus) perpetam finxit, Christum in illis verbis: Fili, remissa sunt tibi peccata tua: causam posuisse pro effectu, ac si dixisset: Fili, liberatus es à morbo, in quem propter peccata tua incideras. At, inquam ego, hæc Eniedini glossa est falsa. Quia. i. Nusquam prius est recedendum à literâ Spiritus S. quàm ipse istum recessum nobis imperet. At hîc istum recessum adeò non imperat, ut eum potiùs, literam aliquoties eodè tenore repetendo, vetet, Matth. 9. Marci 2. Luc. 5. Deinde, Christus, dicendo, Fili, remissa sunt tibi peccata tua, statim id ab eo abstulit, quòd ibi per peccata intellexit: quia verbum Christi est infinite efficax: neque Christus dixit: Fili, remissentur tibi peccata tua, sed, remissa sunt, αὐτὸ ἐώραται. Et quando Christus hominibus pœnitentibus suas iniquitates condonat, sine morâ id facit; quia id misericorditer promisit, Esa. 65. v. 24. & Jerem. 31. v. 34.
Ac

At quando Christus dixit: *Fili, remissa sunt tibi peccata tua, tum non* evestigò ab ipso, abstulit paralyfin; quia id postea demum fecit, Matth. 9. v. 6. 7. Porro, Christus est Medicus noster, qui in mundum vènit, non ad vocandum justos, sed peccatores ad pœnitentiam, Matth. 9. v. 13. ad quos salvandos vènit, 1. Tim. 1. v. 15. & quorum peccata ipse tulit in corpore suo super lignum, 1. Pet. 2. v. 24. quæ sunt causæ morborû, Deut. 28. v. 15. &c. & Sir. 38. v. 15. Ast hic paralyticus fuit peccator. Ergò Christus in mundum vènit, ut & Paralyticum à peccatis suis salvaret. Ergò & ipsum sic salvavit: & per consequens, quando dixit, *Remissa sunt tibi peccata tua, tum intellexit propriè dicta peccata, per quæ is sibi Paralyfin attraxerat.*

13. *Adde. Quando Christus dixit: Remissa sunt tibi peccata tua: tum Scribæ animadverterunt, quòd Christus non nudam δια-
γνωσαν, sed divinam ἐξουσίαν remittendi peccata, sibi attribueret: quia hinc ansam arripuerunt in cordibus suis cogitandi, & intra se dicen-
di: Quid hic sic loquitur blasphemias? Quis potest remittere pecca-
ta, nisi solus Deus? Marci 2. v. 7. Hic ipsi intellexerunt peccata, pro-
priè dicta, id est, ἀνομιὰς, seu iniquitates, contra Legem divinam ad-
missas. Ergò & Christus propriè dicta peccata intellexerat: quippe propter quorum remissionem, quam Christus sibi vendicarat, cri-
men blasphemiae ipsi impegant. Excipit quidem Eñiedinus p. 123. quòd, cum Pharisei existimarent, illum morbum non nisi à Deo posse ver-
bo sanari, ac propterea Christum quòd hoc sibi arrogaret, blasphemum di-
cerent: responderit Christus, se ostensurum posse hominem, ope divina, hoc malum, tollere. Ast fingit Eñiedinus, id Scribas tum existimasse, cum Christus dixit: *Fili, remissa sunt tibi peccata tua.* Qui illi id tum existi-
massent, cum Christus non dixerit: *Fili, profligatâ jam est tua Para-
lysis? Quâ unâ laboravit.* At Christus loquitur de peccatis ipsius plu-
raliter. Taceo, quòd & ipsi Apostoli Paralyticos miraculosè cura-
rint, Actor. 8. v. 7. & 9. v. 33. Qui tamen propterea non sunt blasphe-
miae accusati. Quin & ipse Christus antea Paralyticos al. ôsque malè habentes verbo sanârat, Matth. 4. v. 24. & 8. v. 6. &c. Neq; tamen id-
circo fuit tunc blasphemiae insimulatus.*

14. *Tandem & hoc subnecto. Christus dixit: Quare vos co-
gitatis mala in cordibus vestris? Utrum enim est facilius, dicere, Remis-
sa sunt tibi peccata tua: an dicere, surge & ambula? Matth. 9. vers. 4. 5. Marci 2. v. 8. 9. & Luc. 5. v. 22. 23. Hic Christus apertè distinxit inter*

B

remis-

remissionem peccatorum, & inter ablationem paralyseos, quam sub ver-
bis: Surge, tolle grabatum tuum & ambula: simul complexus est. Hæc
 enim effecta homo iste non potuisset edere, nisi à paralyfi liberatus
 fuisset, Ergò Christus, dicens: Remissa sunt tibi peccata tua; non intel-
 lexit paralyfin, sed peccata (originale & actualia) Paralytici.

15. Oggannir Eniedinus pag. 123. oppositionem non consistere in
vocibus illis: Peccatum & Paralyfis, seu morbus; verùm in illis: dicere &
facere. Nemo enim, inquit, nescit, plus esse facere, quàm dicere. Scribæ of-
fensi erant, quòd Christus dixisset: Fili, remissa sunt tibi peccata. At ipse
ut ostenderet, non tantùm dicere hoc se, verùm etiam præstare posse, adje-
cit: Tibi dico, surge, & tolle grabatum tuum. Quo declaravit, non tan-
tùm se scientiam consolandi afflictos, verùm etiam potestatem juvandi
habere. At, inquam ego, Christus non opponit peccatum & paralyfin,
sed remissionem peccatorum & ablationem paralyseos à se invicem di-
stinguit. Nec suum dicere & suum facere sibi invicem opposuit, sed di-
xit: Utrum est facilius dicere, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, sur-
ge & ambula? Utrobique intelligit dicere cum tō facere conjunctum.
Quia dicere divinum complectitur facere divinum, Num. 23. v. 19. Psal.
33. v. 9. & Ezech. 37. v. 14. Et Christus, dicendo, Tibi dico, Surge &c, nō
tantùm declaravit, se scientiam consolandi afflictos & potestatem ju-
vandi habere: verùm docuit, se se evidenti miraculo, ipsis quoque sensi-
bis Phariseorum exposito, suam insensibilem remittendi peccata, pote-
statem divinam demonstraturum, & satis evicturum, quòd neq; fal-
sò, neque arroganter, neq; blasphemè, sed verè & divinis literis con-
formiter sibi divinam dimittendi iniquitates ἐξουσίαν tribuerit. Ergò
manet immotè verum, quòd Christus propria sua virtute & auctori-
tate suà divina remittat peccata: proindeq; etiam sit ipse Altissimus
Jehova.

16. Itaq; vitanda est phrasis, quã utitur Bucanus in Inst. Theo-
log. Loc. 48. q. 25, ubi Deum Patrem vocat principem redemptionis
nostræ causam. Et Loc. 31. q. 9. Christum appellat causam συνηγορίαν
justificationis. Vitanda, inquam, hæc phrasis est, quia quæcunq; Deus
Pater facit, hæc etiam Filius facit ὁμοίως, Joh. 5. v. 19. Quippe qui cum
Deo Patre est unus, Joh. 10. v. 30. & est ei prorsus ἰσὸς, Joh. 5. vers. 18.
Proinde nequaquam dicendum est, quòd Deus Pater sit operum di-
vinorum ad extra, ἄριστον κύριον; Christus autem non sit ἄριστον κύριον,
sed causa συνηγορίας & administra.

17. Sicut

17. Sicut autem Satanas per Eniedinum adulteravit Dicitum Christi Matth. 9. vers. 2. & 6: ita quoq; per alia organa maligna contaminat effatum Joh. 20. v. 22. 23. Per Ochinum obvertit, nos falli, si credamus personam Sp. S. intrasse in Apostolos, quod immensa sit. Neq; etiam fuisse in Apostolis hypostaticâ unione. Deinde, etiam si persona Sp. S. fuisset in Apostolis; eam tamen non potuisse peccata ignoscere; quod una persona in creaturis, sine cæteris personis operari non possit. Hunc igitur esse sensum Christi: Accipite Spiritum S. hoc est, lumen, gratiam, potestatem prædicandi Evangelii &c. Vide si libet, & Zanch. T. 1. part. 2. de trib. Elohim l. 4. c. 1. p. 503.

18. R. Quot hic errores accumulât Spiritus Ochinianus? Nam. 1. Verè fuit persona Spiritus S. in Apostolis, sicut etiam simul habitat in omnibus Sanctis in cælo & in terrâ, Roman. 8. v. 9. II. & I. Cor. 3. v. 16. 17. & 6. v. 19. Ergo Spiritus S. est ipse Altissimus Jehova; quippe qui solus habitat in omnibus Sanctis, Levit. 26. v. 11. Jerem. 7. v. 3. & c, Ezech. 37. v. 27. & 2. Cor. 6. v. 16. Non autem sequitur, quod objicit Andreas Fricius Sylvæ 1. Tract. 3. p. 113. E. & Spiritus S. est ipse Christus, qui etiam habitat in cordibus nostris, Eph. 3. v. 17. Nam divina in nobis habitatio, ex æquo competit tribus divinis personis, quarum tamen una non est altera. Neq; 2. quicquam obstat immensitas. Nisi enim Spiritus S. esset immensus, non posset ex sese & ex naturâ suâ habitare in omnibus simul Sanctis. 3. Et si persona Sp. S. non fuit in Apostolis hypostaticâ unione (sicut $\sigma\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$ est in assumptâ suâ carne) fuit tamen in ipsis gratiosâ unione. 4. Neq; sequitur: Una divina persona non potest in creaturis, sine cæteris personis operari. E. Spiritus S. non potuit peccata hominibus ignoscere. Sed hoc sequitur. E. non potuit (ob $\acute{\alpha}\mu\omicron\sigma\iota\alpha\nu$ suam divinam cum Deo Patre & Filio) separatim, seu sine Deo Patre & Filio, peccata ignoscere. 5. Glossa ista tropica: Accipite Spiritum S. id est, lumen, gratiam, potestatem prædicandi Evangelii: est rejicienda. Quia Sp. S. ipse (& non sola ejus dona) datur hominibus, & in eis habitat, Rom. 5. v. 5. & 8. v. II. & I. Cor. 2. v. 10. II. 12. Quamobrem cum Apostoli (eorumq; successores in Ministerio verbi & Sacramentorum) non propriâ autoritate, neq; pro suo humano arbitratu, sed ex vi & judicio, & ex præscripto Sp. S. ceu Domini & Magistri sui cælestis, in S. literis loquētis, remittant peccata: E. Spiritus S. propria sua virtute & potestate divina remittit nobis peccata: proindèq; & est (cum Deo Pa-

tre & Filio) ipse Altissimus Jehova: quippe qui unus & solus ἀντι-
 κρητορικῶς remittit nobis iniquitates. Et quia Sp. S. est Deo Patri &
 Filio ὁμοούσιος & profusus ἰσῶς, ideò & fugimus phrasin Bucani in In-
 stit. Theol. Loc. 30. q. 6. ubi Deum nuncupat κύριον αἰλιον pœnitenti-
 æ, Spiritum S. autem Συναίτιον. Hæc de 2.

3. *An Christi-
 stus, ut ho-
 mo, sit divi-
 na ἐξουσία
 remittendi
 peccata, præ-
 ditus &c?*

19. III. An Christus, ut etiam homo, ipsam infinitam virtu-
 tem & potestatem divinam remittendi nobis peccata, verè habeat, & ipse,
 ut etiam homo, peccata nobis remittat? Socinus lib. 1. de Christo Ser-
 vatore, cap. 3. concedit, Filium hominis (Mariæ virginis Filium) po-
 testate remittendi peccata, donatum esse. Ast quia negat, Filium Ma-
 riæ virginis, in unitate suæ personæ, esse ipsum Jehovam altissimum,
 æternum Dei Patris Filium, ideò errat hic atrocissimè. Nam si filius
 Mariæ non est verus Θεάνθρωπος, sed merus (ratione essentiæ suæ)
 homo; tum ipsa divina & infinita virtus & potestas remittendi pec-
 cata, ipsi verè communicari non potuit. Quia divina idiomata non
 possunt à Deo separari, & in aliud subjectum emigrare. Nec Deus
 gloriam suorum divinorum idiomatum alteri personæ, per se subsi-
 stenti, dare vult.

20. Zwinglius & Calvinus cum suis, etsi Christum pro ve-
 ro Θεάνθρωπῳ agnoscant: non tamen concedunt, sed negant, ipsam
 infinitam δύναμιν ἢ ἐξουσίαν divinam remittendi peccata, ipsi Christo,
 secundum suam humanitatem, verè esse communicatam, ipsumque
 juxta suam carnem nobis efficienter & realiter remittere peccata. Quod
 ne videar ipsis affingere velle, ipsorum effata apponam. Zwinglius
 part. 2. Operum, in Exegesi Eucharist. negotii, p. 338. fac. 2. circa finem
 scribit: Verum tamen illud non est tacendum: illos habere Christum
 ἐν τῆς θεοθῆκης μέρει (nolo enim, pro ludo, dicere) qui carni tribuunt,
 quod divinitatis solius est: qualia sunt, fidem confirmare, peccata dimit-
 tere (quis enim peccata remittit, nisi solus Deus?) &c.

21. Zanchius Lib. 2. de Incarn. c. 3. q. 12. p. 424. 428. seu T. 8.
 p. 188. 189 inquit: Ut Deus, nos in gratiam recipit, condonat peccata,
 donat fidem, regenerat, & efficit, ut vitam æternam apprehendamus; idē
 verò ut homo, totam hanc salutem suam morte promeruit &c. Et deinde:
Christus sua humana natura & lingua pronunciauit, peccata remitti;
 sua autem deitate remittebat &c. Piscat. Vol. 3. Theol. Theolog. Loc. 5.
 th. 43. p. 90. ait: Tertium ἀποτέλεσμα ἐστὶν remissio peccatorum: quod con-
 venire Christo, quā Deus est, non autem, quā homo, liquet &c. Vide et-
 iam

iam Sohn. Tom. 2. in Aüg. Confess. art. 3, p. 4; 8. &c. & Sadeel. de verit. humanæ naturæ Christi, c. 4. obj. 13. pag. 188. col. 2. in med. in fol.

22. Ut autem nostra genuina sententia clariùs innotescat, sequentia, velim, probè notari. Ipsa divina, remittendi peccata, virtus, facultas & potestas nō communicatur Christo, ut homo est, nec ab ipso, juxta carnem, possidetur tanquam naturalis & essentialis ejus proprietas. Absit. Nam proprietas deitatis non fit proprietas humanitatis; nec hæc illius: quia proprietates sunt & manent immutabiles. Vide Damasc. l. 4. de orthod. fide c. 4.

23. Nec divina & infinita virtus & λόγος incarnati, ipsius assumptæ carni communicata est μετέβαπκως, transiivè. Illa namque nequit à Deo τῷ λόγῳ egredi, & in aliud subjectum disseparatū transire. Vide Basilium de Humana Christi generatione in die natali aut Ephiphaniæ Tom. 1. p. 467. edit. Basil. ann. 1540. Nec eidem communicata est inhæsiivè; quasi in humanâ assumptâ naturâ, tanquam accidens in suo subjecto, inhæreret. Absit. Quoniam assumpta Humanitas per sese seorsum non subsistit, sed ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, in cuius ὑποστάσει, per unionem hypostaticam, subsistens, in hypostaticam divinæ Majestatis κθινώνιαυδὲν ἐνίτ, & quidem sine omni duarum suarum hypostaticè unitarum Naturarum, ut & idiomatum confusione, æquatione, destructione &c.

24. Taliter factam divinæ facultatis & infinitæ potestatis remittendi peccata, communicationem, probamus etiam ex Matth. 9. v. 3. & 6. Marci 2. v. 5. 10. Luc. 5. v. 20. 24. Ubi nota. 1. Scribas & Pharisæos Christum habuisse pro nudo homine; proptereaq; putasse, eum peccatum blasphemix commisisse, quando dixit: Fili, remissa sunt tibi peccata tua. 2. Christum intentatum illud crimen à se amolitum esse, hoc etiam argumento; quia ipse Filius hominis (prout Messias mundi etiam Psal. 8. v. 5. & Dan. 7. v. 13. dicitur) habeat potestatem in terrâ remittendi peccata. 3. Hic Christum de se, quâ homo est, loqui: quia, quâ homo, fuerat accusatus. E. se, quâ homo est, excusavit, & ab ingenti labe illâ, quâ Pharisæi ipsum conspurcare voluerunt, purgavit. Unde neque dixit ἐν τῷ: Ut sciatis, quòd Filius Dei habeat potestatem in cælo remittendi peccata. 4. Hinc, ne ullum nobis obveniat dubium, Spiritus sanctus etiam abstractivis loquendi formulis (ipsam humanam, cum τῷ λόγῳ hypostaticè unitam, naturam designantibus) utitur, ut: Caro Christi est panis vivus.

Carnem meam dabo pro mundi vitâ, Joh. 5. v. 51. Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis, v. 53. Vide etiam Joh. 6. v. 54. 55. 56. Col. 1. vers. 14. 20. Hebr. 9. v. 14. & 13. v. 12. & 1. Joh. 1. v. 9. Quæ dicta non possent esse vera, nisi vera inter duas Christi unitas naturas intercederet ἡ ἑνωσις. Caro namq; & sanguis Christi, Filii Dei, non posset nos à peccatis mundare, nisi in ἡ ἑνωσις divinæ virtutis & operationis devenisset. Et propterea etiam nostrum Redemptorem oportuit esse verum θεῖον ἄνθρωπον. Nec sufficit dicere, carni & sanguini Filii Mariæ virginis hæc divina tribui, quia sint ipsius Dei ὁ λόγος caro & sanguis. Quia S. Scriptura addit, quòd Christus (ut homo) sit divinâ virtute & Spiritu S. non ad mensuram unctus, Act. 10. v. 38. & Joh. 3. v. 34. Multòque minùs sufficit dicere, carnem & sanguinem Christi inde tantam habere dignitatem & efficacitatem, quia Dei voluntate oblata sint. Nam & pii Martyres secundùm Dei voluntatem affliguntur, 1. Petr. 4. v. 19. Neq; tamen propterea ipsorum sanguis nostras consciëntias emundat à peccatis. Concludo ergò, Christum, ut homo est, in unitate suæ indivisæ personæ, per unionem hypostaticam, esse divinæ virtutis, potestatis & operationis verè ἡ ἑνωσις.

25. Zanchius l. c. objicit, ex nomine Filii hominis, nil concludi de communicatione idiomatum in natura humana, quia significet personam, non naturam. Persona autem sit Deus etiam, & non homo tantum. R. Filius hominis est quidem nomen personæ, ast hic juxta suam unitam carnem intelligendæ. Quoniam probavi, hic Christum de se, ut homo est, loqui. Sic Johan. 5. vers. 27. scriptum est: Et potestatem dedit ei etiam judicium faciendi, ὅτι Filius hominis est. Ubi Filius hominis est etiam nomen personæ, ast juxta suam humanitatem unitam hic intelligendæ. Quod innuit Christus appositâ voce, ὅτι, quæ hic non est ἀπολογικὴ, quasi ista divina ἐξουσία ex naturalibus humanitatis assumptæ viribus emanaret, vel quasi ipsa humanitas principium hujus dationis activum existeret; sed διορατικὴ ἢ δεικτικὴ, quâ persona determinatur & demonstratur ratione sua, libi ἑνωσις unitæ, Humanitatis, quæ per unionem hypostaticam in veram hujus divinæ ἐξουσίας ἡ ἑνωσις devēnit. Non igitur inhæremus soli huic Nomini, sed addimus viscera textûs, ex iisdemque nostram sententiam evincimus, & quidem meritò. Quia enim persona Christi non est

est Tertium aliquod, à suis duabus hypostaticè unitis Naturis realiter distinctum, propterea disquirendum est ex Fundamentis Bibli-
cis, an prædicata ipsi personæ competant vel juxta divinam, vel juxta
humanam, vel juxta utramq; naturam.

26. Otclamitat Zanchius, neque ex dictione potestatis, posse
aliquid de ista communicatione idiomatum, concludi; quia possit acci-
pi pro potestate non simpliciter, quæ sit solius Dei: sed κατὰ τὴν, ut subdele-
gata, certisque terminis limitata: quæ etiam creaturis communicetur.
Neq; aliter hæc vox intelligi possit, si nomine Filii hominis intelligas hu-
manam naturam: seu Christum, quatenus homo est. Neque ex verbo,
remittendi peccata. Quia significet non solum simpliciter & verè effi-
cienter remittere peccata, quod solius Dei sit: sed etiam ministerialiter
remittere, hoc est, pronunciare nomine Dei, esse remissa &c.

27. Resp. Non quæritur, quomodo verba Spiritus sancti
in cerebro Zanchii possint accipi, sed quomodo juxta mentem lo-
quentis Spiritus S. accipi debeant, 2. Petr. 1. vers. 20. 21. Jam autem
testatur Sp. sanctus, quòd hîc non potestas subdelegata, sed divina
& infinita; neque remissio ministerialis, qualis vocatis divini verbi
præconibus competit, sed divina ἀποκαταστατική & ἀντιπροσωπική in-
telligenda sit, ut supra planum feci.

28. Piscator Volum. 3. Theol. Theol. pag. 90. objicit: Qui po-
test remittere peccata, is necessario est Deus, concedente id Scribis Chri-
sto. Atqui humana Christi natura non est Deus: id quod extra contro-
versiam est &c. Resp. 1. Per Instantiam, Qui subsistit subsistentiâ
divinâ, & ingreditur consortium S. Triados, ille potest remittere
peccata. At assumpta à τῷ λόγῳ Humanitas subsistit subsistentiâ di-
vinâ, & ingreditur consortium S. Triados: quia secunda S. Triados
persona est ὁ λόγος & unione & communionem hypostaticâ homo fa-
ctus. Vide D. Chemnit. de duabus in Christo Naturis, cap. 27. super
quod Danæus scripsit: De hoc capite nulla nobis cum Kemnitio est
controversia & certamen. Ergò concedit Danæus, quòd ὁ λόγος
cum propriâ suâ carne, sit persona secunda Trinitatis. 2. Major loqui-
tur de personâ; Minor autem de Naturâ: perinde ac si aliquis sic so-
phisticaretur: Qui potest intelligere, is est homo. Anima non est
homo. E. anima non potest intelligere. Ut istas & similes tricas
effugas, nota industriè, quòd solus Deus, scilicet ut divinum Suppo-
situm

fitum, remittat suâ propriâ authoritate, peccata nostra; quôdque humana, à Deo τῷ λόγῳ assumpta, natura sit per unionem cum τῷ λόγῳ hypostaticam, θεῶ θεῖσα ἢ λογῶ θεῖσα; & sic etiam divinâ virtute uncta, Actor. 10. vers. 38. & in divinarum ἐνεργειῶν ἡθινωνίαν, adeóq; ut cum Cyrill. l. 12. Thesauri cap. 15. loquat, in conditionem assumentis eam, per gratiam (*unionis hypostaticæ*) translata. Confer etiam D. Hesselbein. Antid. 2. p. 45. &c.

29. Denique Jesuita Bellarm. lib. 3. de Incarnat. c. 16. obstrepit, remittere peccata propriâ authoritate, esse infinite virtutis; remittere autem ut instrumentum alterius, non requirere infinitam virtutem, ut notum, sit. Jam verò Christum, ut Deum, remisisse peccata propriâ authoritate; eundem verò, ut hominem, remisisse, ut instrumentum divinitatis.

30. Resp. 1. Una eadēque est divina remissio, quæ Christo, juxta suam deitatem competit ex se: eidem, secundum humanitatem competit, non ex se, sed ex unione hypostaticâ. 2. Bellar. negans factam divinæ virtutis infinite communicationem, Humanitatem, à τῷ λόγῳ in ipsius infinitam hypostasin assumptam, non credit esse organum, τῷ λόγῳ sic hypostaticâ unione copulatum, ut sit divine & immense Majestatis & divinarum ἐνεργειῶν ipsius ἡθινωνόν factum. Et sic impingit in S. Scripturam, eam hypostaticam ἡθινωνίαν reverà asserentem, Actor. 10. v. 38. Joh. 17. v. 5. & 1. Cor. 15. v. 45. Marci 5. v. 30. Luc. 6. v. 19. & 8. v. 46. & passim. De iis, quæ restant, dicam in seqq.

F I N I S.

☉(o)☉



Coll. Diss. A 167, wise 20